

Responsio Joh. Scharffii Responsio Georgii Calixti redorta episc  
 scripto acrio opposita Wittelb. 1649.  
 1) fusta proba Calixtinorum de controversia  
 in quibusdam articulis. 1650.  
 2) Missus in d. Calixtinorum in d. Scharffii  
 in eisdem articulis. 1650.  
 3) Vrsulae Doct. Joh. Scharffii in d. Georg. Calixti  
 de iusticia. Wittelb. 1651.  
 4) Apologia D. Abr. Calovij in negotio  
 Vrsulae & Calixti. D. In d. Scharffii  
 in d. Calixti. 1651.  
 5) Examen in d. Scharffii in d. Calixti  
 in d. Scharffii in d. Calixti. Wittelb. 1651.  
 6) Judicium D. Hulfemanni de Calixti  
 Ecclesiastica Lips. 1651.  
 7) Vrsulae in d. Scharffii in d. Calixti  
 in d. Calixti. Wittelb. 1651.  
 8) Vrsulae in d. Scharffii in d. Calixti  
 in d. Calixti. Wittelb. 1651.  
 9) Vrsulae in d. Scharffii in d. Calixti  
 in d. Calixti. Wittelb. 1651.  
 10) Vrsulae in d. Scharffii in d. Calixti  
 in d. Calixti. Wittelb. 1651.  
 11) Vrsulae in d. Scharffii in d. Calixti  
 in d. Calixti. Wittelb. 1651.  
 12) Vrsulae in d. Scharffii in d. Calixti  
 in d. Calixti. Wittelb. 1651.  
 13) Vrsulae in d. Scharffii in d. Calixti  
 in d. Calixti. Wittelb. 1651.  
 14) Vrsulae in d. Scharffii in d. Calixti  
 in d. Calixti. Wittelb. 1651.



ANDREÆ-HENRICI Bucholtz  
 SS. Theol. nec non Phil. Mor. ac Poet.  
 Profess. publ.

ORATIO PANEGYRICA  
 DE  
 NECESSITATE  
 & Utilitate Philosophiæ  
 Moralis.

*Pridie Non: Mart. Anno 1647. Cum ad Philo-  
 sophiæ Moralis, ac Poëstos professionem publicam, in Incluta Aca-  
 demia Holsatò-Schaumburgica sibi demandatam, accederet,  
 Habita;  
 Et nunc primùm edita.*



*Rintelij ad Visurgim,*  
 Typis exscrisit PETRUS LUCIUS, Typographus Academicus;  
 ANNO CLD ICG XLIII.

*Illustri, Generoso & Magnifico Domino,*

**DN. JOAN-ADLERO  
SALVIO.**


Regiæ Majestatis Svecicæ Con-  
siliario intimo, Cancellario Aulico, & ad  
tractatus Pacis in Germania Legato, &c.  
Hereditario in *Adelsburg/Alatzkiney/Offwerby  
& Tulingen*/r. Domino & patrono  
meo benigno.

*Strenam hanc exiguam, boni ominis  
ergò, debita mentis submissione*


Dedico & confecro

Andreas - Henricus Bucholz/  
art. M. & prof. publ.





Oratio Panegyrica  
*De*  
NECESSITATE ET UTILI-  
tate Philosophiæ Moralis.



*Rector Magnifice,*  
*Vosque Viri Admodum Reverendi, Consultif-*  
*simi, Clarissimi, Excellentissimi,*  
*Doctissimi.*

*Et tu Nobilissima & Præstantissima Studioforum*  
*Corona,*



**N**genti perfusus sum gaudio,  
postquam communem istam læ-  
titiâ, oculis auribusq; hoc tem-  
pore percepi, qua tota hæc civitas,  
præsertim verò Academiæ hujus  
nostræ Cives exultant, dum Illustrissimæ & Genero-  
fissimæ Comitissæ & Dominiæ, Dominiæ ELISABE-  
THÆ, Comitissæ Hollatiæ, Schaumburgi & Sterne-  
bergæ, Dominiæ in *Sehmen* & *Bergen*; natæ Co-  
mitissæ & Nobilissimæ de Lippia &c. Dominiæ  
nostræ Clementissimæ hoc tam pium, tam sanctum,



& æternis laudibus celebrandum opus, clara & sublimi voce deprædicant; quod hanc ægrotantem, & extremum spiritum trahentem Academiam, mortis faucibus eripere voluit, & collapsam fermè, liberali & magnifico, imò Heroico planè animo instaurare. Urbis incolæ cum tripudio incedunt, & bellicis exactionibus, expilationibus, rapinis ad inopiam reducti, fortunæ, quam Studiosorum ingens numerus secum adferet benigniorem, avido rictu inhiant, sibi que non tralatitiè pollicentur, fore, ut, quidquid Martis violentia & crudelitas avaris manibus eripuit, Musarum alumni ex longè distitis oris certatim advolantes, plenis vehiculis, multo cum fœnore liberaliter sint compensaturi. Collapsæ domus, & Musea parietibus suis & tectis nudata, imò cæmentis & calce sua oppressa, de subita reparatione sibi gratulantur, quod miserrimis his temporibus, nunc ab invisis militibus, nunc a squalida & inani solitudine inhabitata, sacratissimis erudiendorum, eruditorumq; precibus, Studiis, familiaritati iterum debeant consecrari. Imprimis autem hoc nostrum Collegium, quam suaviter & in sinu gaudet id, quod dudum cum fletu & lacrymis expectavit gaudium! Area ista quæ foris est, à porcis hætenus & bobus calcata, fœdata, stercoreata, sentib<sup>9</sup> & carduis undiquaq; obducta

obducta & in via facta, suam purgationem, quam diu flagitavit, ipsa strenuè juvare, & suis quodammodo manibus impigrè promovere videtur, ut posthac Docentium, Discipulorumq; pedibus, quò nihil sibi gratius, nihil jucundius accidere potest, assiduò teratur. De Auditoriis autem nostris, hæcenus inæstissimis, quid dicam? In luctu fuerunt & squalore, præter hoc unicum, reliqua omnia; quorum nonnulla lapidibus & luto obstructa, nulli patuerunt, nulli permiserunt aditum, credo, ut sine aliorum impedimento, suam calamitatem acerbius lugerent, miseriam suam liberius deplorarent: Alia, quanta quanta sunt, ab utroque latere pervia, & pecorum injuriis exposita, sine parietibus, fenestris, repagulis, sine subselliis, Cathedris; fundo non tantum nullis lapidibus strato, sed porcorum in super rostris effosso, & quod sine rubore dicere non possum, stercore inquinato; quid per DEUM nobis ostendunt aliud, quam spectaculum aliquod scædissimum, quod vel literarum & eruditionis hostes infensissimos permoveat, & ad misericordiam & suspiria provocet? Hæc inquam Auditoria suam nunc reedificationem, repurgationem, ornamentum, quanta cum aviditate, quanta cum lætitia audiunt & expectant! Sed neq; studiosam nostram juventutem omnis gaudii & lætitiæ expertem

annoig

A 3

videmus:

videmus : Quam sibi gratulatur, quam gaudet animus, de studiorum suorum futuro successu prospero, postquam Doctrinarum & scientiarum omnium Facultatibus [ ut vocant ] Clarissimos juxta & Doctissimos Professores & Doctores, partim præfectos, partim primo quoque tempore videt præficiendos. Hi in Theologicis, ubi feliciter inceperunt, felicitius se progressuros sperant, & Divina oracula cognituros. Illi in vasto juris universi pelago, sub provido & experto Nauclero, ad gubernaculum sedente, & clavum manu sua prudenter tenente, secundis ventis se navigaturos, & quas mente conceperunt merces, peracto cursu & itinere reportaturos, fortiter confidunt. Alii *μικροδομῶν*, hominis nempe ad miraculum artificiose efformati & compositi, ut & morborum, quibus corpora nostra sunt obnoxia, medicamentorum item, morbos pellentium, & sanitatem, tum conservantium, tum restituentium, exactam cognitionem à præeunte Doctore sibi promittunt. Alii in linguis & artibus, in Scientiis & Philosophiæ partibus quibuscunq; fidelem nostram informationem petunt, & quæ supremum numen nobis sive in Cælo, sive in Terra, sive sub Terra contemplanda proposuit, egregio mentis acumine scrutari & secretius introspicere, magnoperè gestiunt. Re-  
giones



giones denique & Civitates circumjacentes de aliis  
novis, quæ Bellum quotidie nunciat, parum sollici-  
tæ, de Academiæ nostræ reparatione sermones con-  
ferunt, & Studiosæ juventutis suæ missionem ad nos  
meditantes, quantam nobis ostendunt lætitiâ!  
quod in propinquo, & quam minimo sumtu eam  
apud nos alere, & nostræ fidei & informationi trade-  
re possint. Hoc est, Auditores honoratissimi, quod  
me hodie instigat & compellit, ut gaudium, quod  
intra me concepi, publicè hic profitear, & si possim,  
similem lætitiâ in aliorum quoq; pectoribus exci-  
tem; cum & me in posterum deceat, summa ope niti,  
totisque viribus contendere, ut, quantum in me est,  
quod tamen parum est, & cum aliorum viribus non  
comparandum, Academiæ nostræ emolumentum  
quæram & promoveam, ejusque malum, juxta cum  
reliquis Academiæ patribus, & re & consilio ante-  
vertam. Verum enim verò, cum vires nostræ nullis  
intendantur, nullis roborentur nervis aliis, quam  
singulari Numinis æterni auxilio et favore, haud im-  
meritò ejus invocamus omnipotentiam, qui ut ma-  
jestatem suam luculentius ostendat, in infirmis &  
fragilibus organis efficacissimus esse solet, ejusq; in-  
finitæ & nulli hæctenus petenti denegatæ litamus  
misericordiæ, ut in exhaustâ & superabundante divi-  
ciarum

tiarum suarum copia egestati nostræ & infirmitati succurrere velit, nostrisq; actionibus omnibus piis, ad Dei gloriam, proximæ salutem, & Academiæ præfertim nostræ emolumentum susceptis, ex alto benedicere : quod ut impetremus, suspiramus cum Ecclesia.

*Veni Sancte Spiritus,*

*Et emitte cœlitus*

*Lucis tuæ radium, &c.*

Cogitanti autem mihi, cujus rei gratia locum hunc augustum conscenderim, & ad quos verba sim facturus, nullo in argumento meam commodius & potiori jure orationem versari posse visum est, quam, si de PHILOSOPHIÆ MORALIS NECESSITATE ET UTILITATE nonnulla in medium proferam, adeoq; adductis rationibus ostendam, quanta ejus sit dignitas & excellentia, quæ tamen non in nuda cognitione, sed virtutum sedula & diligenti exercitatione consistat. Non quidem, ut vos Viri excellentissimi, à primis incunabulis non minus Virtutum exercitio assuetos, quam varia & insigni Scientiarum cognitione præcellentes, mea oratione vel informem, vel facundia quadam, quæ in me nulla est, svaviter afficiam, sed, ut in studiosæ juventutis pectoribus virtutis amorem excitem, ejusq; ingenua pul-

pulcritudinem, lascivienti, & voluptati deditæ ætati non satis cognitam, ob oculos ponam, meæq; simul Professionis dignitatem coloribus quibusdam genuinis, nullo fuce, nulla cerussa infectis, depingam. Quod dum facio, obnixè à vobis peto, aures vestras & mentem simul per hanc semihorulam advertite: faciam Auditores, & faciam sedulò, ut quam arida & incompta etiam Oratio mea vobis videatur, impensè tamen vos temporis non admodum pœniteat.

Duo autem omnino sunt Studiorum genera, quibus Universum Philosophiæ corpus absolvitur: Unum ex objecti sui præstantia suâ nobis commendat Nobilitatem; alterum ex Utilitate, quam humano generi confert, suam Necessitatem. Istud in omnium Creaturarum, quin & ipsius Creatoris naturam sapienter inquirat, & ad maximè dissita non minus, quam ad ea quæ sub pedibus sunt, mentis nostræ dirigat oculos, nimirum, ut animi nostri cellulas, in prima creatione omnimodâ rerum omnium cognitione expletas & ornatas, per miserandum autem & iterum miserandum protoplastarum lapsum evacuat & deperditas, quantum vires hodiernæ permittunt, reparat & instauret. Imperfecta quidem est & valde impingens hodie nostra cognitio; mentis enim nervi plurimum dissoluti, plurimum fracti

B

si ni-

si nimium intendantur, facile rumpuntur, neque arcum cognitionis semper intensum ferre possunt. Quemadmodum securis, etiam acutissima, & è purissimo chalybè confecta, si in pertinacibus nodis, ferri duritiem superantibus, quotidie exerceatur, hebes redditur & obtusa prius, deinde inutilis; Ita mentis nostræ acies, nisi quiescat quandoq;, & ab intenso cognitionis actu remittatur, fieri aliter nequit, quam ut violentiæ tandem cedat, & in corpore penitus extinguatur. Hæc est illa remora, hoc impedimentum ingens, quod cognitionis perfectionem nobis invidet, & humanæ vitæ brevitati denegat. Cui accedit, & merito præcedit pessima omnis mali radix, contractus ex Adæ lapsu morbus, nulla reparabilis arte, nullis medicabilis herbis, à parentibus per infelicissimam juxta & nocentissimam hereditatem ad nos devolutus, & in ipsa membrorum formatione, vel potius in prima materiæ suppeditatione in nobis, non factus, sed natus, non introductus, sed ingenuus, non furto adjectus, sed necessitate quadam intrusus, tam pertinaciter adhæret animæ, tam violentè resistit cognitioni, ut, quæ puerilia etiam sunt, & in statu integritatis ridicula videbantur, summo cum labore addisci oporteat & doceri. Neque tamen



men usque adeò despicienda est hodierna cognitio-  
nis nostræ mediocritas, ut omni laude eam & elogio  
excidisse censeamus. Quamquam enim Divina-  
rum rerum Sapiencia ex mentibus nostris pulsa est,  
& non nisi è peculiari sacrarum literarum revelatio-  
ne reparatur; in naturalibus tamen cognoscendis,  
non omnem planè vim amisit ratio, sed tanta in iis  
scientia nobis reliqua est, ut in admirationem meri-  
tò nos ducat, vel nolentes. Quid enim Cœlo sub-  
limius est, quid Astris splendidius, quid admirabili-  
us! Et tamen tam altè mens humana se extulit, ut  
per Aërem, per nubes, per diversas & longissimè inter  
se distantes cœli sphaeras momentò volitans, remo-  
tissimi Mobilis primi (ut vocant,) naturam, cursum,  
qualitates invenerit, minutisque literarum monu-  
mentis discantium reliquerit utilitati. Quanta Stel-  
larum est in Cœlo copia, quanta virtus, quam diffe-  
rens earundem motio! Et istas tamen Stellas omnes,  
quotquot alicujus præstantiæ & splendoris sunt, in  
numerato mens nostra habet, quas ut eo melius & fac-  
cilius posteritati studiosæ cognitas faciat, retulit eas  
in diversa Astra, nunc Bovem, nunc Leonem, nunc  
Heroem quendam, nunc Libram, & quid non? sibi  
effigendo. Planetarum in hæc inferiora, uti vis

major est, ita exactius multò in eorundem inquisi-  
vit naturam ratio ; ipsorumque quantitatem quasi  
ulnâ dimetiens, quot palmis, imò quot digitis unus  
alterum superet, calculo suo perquisitissimè evicit.  
Cursus verò eorundem tam certus humanæ menti,  
tam accuratè perspectus est, ut & punctum, ubi post  
mille annos, sive sol sive alius planetarum decursurus  
sit, tam probè quam digitos suos habeat cognitum.  
Hinc de Solis & Lunæ obscurationibus, & planeta-  
rum reliquorum conjunctionibus vaticinari, tam  
facilis labor est, &, numquid felicitatem hisce regio-  
nibus portendant, an verò adversa nobis miniten-  
tur, dijudicare. Ita Mens nostra, tanquam alter ali-  
quis Phœbus, rapido intellectus sui curru omnem  
Cœli plagam pervagatur, & memoriæ tenacitati om-  
nia imprimens, ideam secum ab Olympo deducit,  
quæ vel in arctissimo conclavi spaciolissimam Astro-  
rum regionem totam referat. Possem hic, Auditores,  
disertus esse, possem reliquas Scientiarum partes in  
theatrum producere, & in hoc latissimo dicendi cam-  
po tantam rerum varietatem multis, & non ingratè  
fortasse coloribus depingere, quomodo ea, quæ sub  
Jove nascuntur omnia, tam anxie mens nostra per-  
scrutari soleat, ut vix atomos radii solares excitave-  
rint,

rint, in quibus ingenium suum ratio non exercue-  
rit. Perpendite enim quæso, quantam curam, quan-  
tum laborem Majores nostri impenderint, ut totum  
illud, quod inter Cælum & Terram interjacet, fa-  
miliare sibi redderent. Quid reliquerunt intentat-  
um, ut Elementa, & quæ ex illis gignuntur omnia  
perspicerent? Quid de Nubibus statuere oporteat,  
didicerunt; Quid illud sit, quod tam horrendum  
& vel furiosis Gigantibus *θεομητορις* metuendum fra-  
gorem splendore misto, in aëre excitet, cognitum  
est; Quid venti sint & turbines, unde exordium su-  
mant, unde generentur: Quid pluvia, quid nix, quid  
grando, ros & pruina: Quid in aëre quandoq; exori-  
ens ignis, qui modo stellæ formam radiantis induit,  
& crines suos horrendum in modum longè lateque  
diffundit, modò ut trabs totum ardens, modò ut sal-  
tantes capræ apparet, & pro diversa materiei aptitu-  
dine aliter atq; aliter formari in aëre & ostendi nobis  
solet. Porrò quanta sit animantium & in terris & in  
aquis degentium varietas, & quam, in hac infinita  
varietate, admirabilis conspiratio & concordia.  
Quid demum illud sit, quod arborem ab arbore di-  
stinguat, fruticem à frutice, herbam ab herba, lapi-  
dem à lapide. Quid in specub<sup>o</sup> subterraneis generosa  
B 3 . . . metalla

metalla producat, quorum ſplendor, non dico hominum, ſed ſapientum etiam animos occæcare poteſt. In his inquam omnibus & ſingulis tam ſpacioſus mihi dicendi campus apertus eſt, ut dies abeat citius, quam omnia dignè proſequi, & vel compendioſa tantum narratione in ſcenam provocare poſſim. Verum, ne, quas ipſi in principio leges, quos limites nobis poſuimus, inconsideratè tranſilire videamur, unicum hoc vobis Auditores, paulò inquit ſitioris mentis indagine penſiculandum relinquo, quam ingens decus hæc rerum cognitio nobis afferat, quam ſvaviter ea nos afficiat, quantam jucunditatem, quantam voluptatem hominum mentibus pariat & inſtillet. Equidem carnis illecebræ, brutis affectibus noſtris ſvavitatem sæpè ingentem excitant, & mente nonnumquam diſſvadente, nonnumquam repugnante, ad illicita quævis nos abripiunt, ut & nobis fatendum ſit cum Medea: *Video meliora proboque, deteriora ſequor.* Nimirum, tam profundè perversitas illa in cor humanum deſcendit, noſtrasque ſibi paſſiones fecit ſubditas & obediētes, ut in Naturam abiſſe videatur, quam licet *furca expellas, tamen uſque recurret.* Impetu enim quodam in eandem ferimur, & ceu maximè delectans bonum, volupta-

Ovid. lib.  
7. Metam.  
fab. 1.

Horat.  
lib. 1.  
Epiſt.  
Epiſt. 10.



luptatem quærimus, sitimus, flagitamus, ut sine ea  
 ne vita quidem nobis jucunda, sed mors tolerabilior  
 esse videatur. Et tamen nihil in se habet solidi, nihil  
 constantis, nihil egregii, sed fucum nobis vendit, &  
 præter umbram levem & somnium fallax, nihil est,  
 nisi aliquid multò deterius. Contra, Voluptas, qua  
 nobilis rerum Scientia mentes nostras perfundit,  
 tam præclara est, tam egregia & excelsa, ut, si eam di-  
 vinum aliquod bonum esse dicamus, non erremus  
 quidquam, & non nisi debitum ei honorem tribua-  
 mus & elogium. Habemus tamen, Auditores, habe-  
 mus aliud bonum, quod magis adhuc utile, magis  
 necessarium, humano generi, hanc mortalem vitam  
 viventi, audemus dicere. At, quid est, inquis, quod  
 Sapientiæ utilitati præstare possit? Sapientiæ in-  
 quam, quæ ex abjecta vulgi conditione, ad Deos usq;  
 immortales nos evehit, qua, ut disertissimus Romuli  
 nepotum testatur, non dicam in homine, sed in omni Cæ-  
 lo atq; Terra nihil est divinius; & quam Sapiientissimus  
 Seneca tanti facit, ut nisi ad hanc admissus fuisset, non  
 opera pretium fuisse nasci, abitraretur. Quid igitur esset,  
 inquit aliquis, quod præferri huic tanto, tam utili &  
 necessario bono posset? Verum enim verò, uti cer-  
 tissima hæc sunt omnia, uti Sapientiæ Nobilitas sum-  
 ma est,

Cicer. lib.  
 1. de legib;

Senec.  
 præfat. in  
 natur.  
 quest.

non

ma est, uti ea animi propulsat tenebras, eiq; saluber-  
 rimam affundit cognitionis lucem; Ita tamen inficias  
 nemo, opinor, ibit, Philosophiam MORALEM, quam  
 PRUDENTIAM appellare solent, majorem longè utili-  
 tatem generi humano, in hac plena dissensionis &  
 periculorum vita conferre. Nam sit ita, quod Sa-  
 pientia abstrusissimarum nos rerum cognitione or-  
 net: quid autem prodest, multa nosse, & ex remotissi-  
 mis causarum initiis rerum naturam deducere, nisi  
 virtutem colamus, virtutem inquam, Rerumpubl.  
 omnium fundamentum & columnam unicam, qua  
 absente, sapientissimus quisq; vel nihil operæ & ad-  
 jumenti in proximum confert, sed ac si tantum sibi  
 natus esset, in angulo quodam hæret, ceu trabali cla-  
 vo affixus, & inanibus suis speculationibus indul-  
 gens, de aliorum salute ne cogitat quidem, tecti eti-  
 am supra caput ardentis flammæ non sentit, nedum,  
 ut ad extinguendum accurrat incendium: vel quod  
 magis timendum est, scientiam suam addicit mali-  
 tiæ, & ubi patriæ, cui maximam partem natus est,  
 prodesse debebat, in ejus ruinam potius & desolatio-  
 nem intentus, quia vitium sic svadebat, dedecori tan-  
 tum & damno sibi suisque est, ut etiam, ne natum  
 eum unquam fuisse, in lucro haberetur. Quis igitur  
 non

non videat, Sapientiam quidem Divinum omnino bonum esse, nobisq; multis modis proficuum; sed tamen, si virtute regatur, & ex eius præscripto agat omnia, viribusq; utatur suis. Advertarium hic nullum facile inveniam, nisi eum, qui in mundo planè sit hospes, & in ferarum speluncis à prima infantia educatus. Finge enim tibi Rempubl. aliquam; rempubl. dico, qua sublata, mortalium salus facta tecta esse nequit; & talem finge, ubi à Liçtore usque ad Consulem omnes philosophentur, omnes contemplationi vacantes, profundissima naturæ mysteria, intellectus sui acumine sagacissimo penetrent & aperiant: si interim virtutibus non inbuti, neq; justitiam administrent in pace, neq; fortitudinem hoste ingruente adferant, neque Temperantia, vitæ, Parsimonia autem fortunis suis prospiciant; qualem istam credis fore Rempublicam? Ego quidem ipsam in media Sapientia stultissimam audebo dicere, & omnes ejus cives eruditam aliquam insaniam insanire, & per scientiam furere. Quid autem, si Rempubl. eandem, non tantum, ut virtutibus vacuam, sed vitiis simul atrocissimis infectam contuearis? Affectus enim nostri otiosi nequaquam sunt, sed nisi benè agant, malitiam impendiò sectantur, & per consuetudinem ejus fiunt mancipia. Quid igitur de  
ejus-

ejusmodi Republ. senties? Dixeris eam, ut ut sapien-  
 tem, miserrimam, & quam ne ipsa quidem Salus ser-  
 vare possit, etiamsi omnem suam benevolentiam,  
 omnes suas opes in eam profundat. Injustitia enim  
 sua Magistratus æquitatem ex mœnibus protru-  
 dent; Timiditate cedent levissimis periculis; Teme-  
 ritate diripient omnia; Ambitione autem, Avaritia  
 & Libidine, quæ pestes sunt & Furia Rerumpubl.  
 nocentissima, funditus Civitatem suam conturba-  
 bunt. Contra, si virtutibus Respubl. muniatur, et-  
 jamsi Cœli labores, & animantium naturam variam  
 non habeat cognita, benè tamen erit constituta, in  
 periculis salva, & ab interitu satis vindicata. Perpen-  
 dite hic Auditores, Romanæ Majestatis primordia,  
 quæ non ex Minervæ cerebro primum nata est, nec  
 inter Musas educata, sed virtute crevit simplici. Ru-  
 stica enim gens erat, quæ boves & oves suas nume-  
 rare didicerat melius, quam stellarum in Cœlo copi-  
 am recensere. Inter illos, si Magistratus esset eligen-  
 dus, non quærebatur, quam scitè aliquis Notiones  
 Logicas fingere & fabricare, & in varias figuras Syl-  
 logismum momentò transfundere; quam subtiliter  
 & acutè de Ente disserere, Communissima ab indi-  
 viduis abstrahere, sibiq; universam rerum omnium  
 essentiam unico & simplicissimo mentis conceptu  
 sistere.

sistere posset ; Hæc inquam omnia à Magistratus Candidato non requirebantur , sed quam fortiter in bello , quam prudenter & moderatè in pace rem gerere , quam justè omnia & agere & sentire didicisset. Cœterorum nulla erat Cupido , quippe quæ ignota erant omnia , & hominibus in agro natis ne quidem audita.

Quod si peregrina minus juvant , immortalem Majorum nostrorum , Germanorum nempe veterum gloriam quæso intuemini. *Literarum secreta,*

[scribit de eis Tacitus,] *Viri pariter ac fœmina ignorant.*

Tacit. lib.  
de morib.  
German.

Artes igitur liberales tractabant nullas , sed è parentum virtutibus mores suos fingebant , & sibiipsis erant schola , in qua tantum quotidie profecisse credebantur , quantum sua virtute præstiterant ipsi. His artibus , hac Sapiencia seq; suosq; contra hostium tela muniebant , suaq; Fortitudine id merebantur , ut ab hostibus suis Gallis , coram invictissimo Mundi Monarcha Julio Cæsare , tanquam Heroes *incredibili*

*virtute atq; exercitatione in armis* prædicarentur , quorum non dico congressum , sed ne *vultum quidem at-*

Cæsar. lib.  
1. de Bell.  
Gallic.

*que aciem oculorum* ferre in prælio Galli potuissent ; Id quod Romani quoq; maxima suorum strage læpius sunt experti , qui asperiores gentem non invenerunt , cum qua præliis tam difficilibus & ambiguis

fuiſſet concurrentum. Philoſophabantur igitur  
 Majores noſtri quidem, ſed vita, non oratione, factis  
 non dictis, moribus non ſermonibus; hoc eſt, in vir-  
 tute omnem ſapientiam, omne bonum poſitum  
 eſſe, & credebant ipſi, & ab aliis credi volebant. Sili-  
 cem autem pro pectore habeat, & e quercu exciſus  
 ſit neceſſum eſt, qui huic tam certiffimæ veterum  
 Germanorum ſententiæ non libens ſubſcribat. Nul-  
 lus enim Reipubl. ſtatus, nulla ætas, nullus ſexus eſt,  
 qui ſeq; ſuamq; incolumitatem vel ad momentum  
 integram ſervare poſſit, niſi virtute ſuffulciatur. Et  
 quantum quidem Magiſtratui interſit, in virtutum  
 familia naſci & educari, optimè norunt illi, quibus  
 exempla Regnorum cognita ſunt & Imperiorum,  
 quorum initium Regum virtute conſtitit, vitiiſ  
 autem eorundē labefactata & penitus extincta ſunt. Sic  
*Aſſyriorum* Monarchiam fortitudine ſua fundabat  
 Ninus, Semiramis augebat, quam Tonofconco-  
 ros (alias Sardanapalus,) vir omni Muliere corrupti-  
 or, deſidia ſua & voluptate totam perdidit. Sic *Perſa-*  
*rum* Regnum Cyri virtus evehebat, Succeſſores ex-  
 tendebant, donec ex Dariis ultimus, Toga quam  
 Armis melior, & Alexandri audaciæ longè impar, vi-  
 tam ſimul cum Imperio amitteret, & hoſti, in extre-  
 ma mortis hora amicus, mundi habenas & concede-  
 ret,

Juſtin.  
 Hiſt. lib. i.

Juſtin.  
 lib. ii.  
 Curt. lib.  
 5. de reb.  
 geſt. Alex.  
 Magn.

ret, & a Diis precaretur. Neq; tamen Regum virtute tantum imperia sustentantur, sed & in Subditis quoque animus à vitiis alienus, & virtutibus deditus, requiritur. Quemadmodum enim sola Ducis arma hostium copias profligare nequeunt, licet is vel Hercule sit robustior; sed militum quoque præfenti animo & manu opus in conflictu est; ille autem officio suo satis functus creditur, si bono exemplo suis præluxerit: Ita Regni Salus ab uno Principe tota nec pendet nec protegitur, sed & Subditi, quod ipsorum est, conferant oportet; hoc est; sequantur decora egregij Regis vestigia, nec ab honestatis tramite abducere patiantur, nec vitiorum suorum multitudine optimi Principis virtutem impediunt, sed ad eundem cum ipso scopum, qui unica Patriæ salus est, vires suas dirigant, & suo quisque officio intentus, regni decus indies magis atque magis augeat & exornet. Hac prudentia, hoc exemplo quilibet paterfamilias suis præire filiis debet, & cum lacte simul materno, virtutis amorem ipsis instillare, ne, dum eos, quos sibi imitandos proponunt, malè vident agere, ipsi quoq; pessimis moribus inbuantur, & animû tenerum, ac quidquid imprimitur, facile recipientem, ad malitiam vertant, magno cum patriæ periculo & damno. Cave tamen, virilem sexum tantummodo

-hinc in

C 3

virtu-



virtutum studiis addicas, mulieribus, ceu ad Reipub.  
 incrementum nihil conferentibus, penitus exclusis.  
 Nam & his sua virtus est, reipublicæ multum condu-  
 cens, quam non Matresfamilias tantum sectari, sua-  
 que vita exprimere, sed & filias quoque addiscere  
 oportet, ne, dum magnis auri & argenti divitiis Ma-  
 ritos beant, optima interim dote, quæ pudicitia &  
 virtus est, carentes, dedecus & probum in maritalem  
 domum inferant. Videtis Auditores, quàm in toto  
 hoc universo, nulla omnino humani generis pars,  
 nulla ætas, si salva esse debet, virtute carere possit; ut  
 vel solem è mundo tollere videantur, qui virtutem  
 terrarum orbis eripere velint. At verò, unde virtutis  
 cognitio, unde honesta discitur & emergit actio, nisi  
 è Philosophia Morali? Hæc enim est, & sola est, quæ  
 vitia, ad quæ natura proclives sumus, abigit, & adver-  
 sus eorundem detestandam atrocitatem odium plus  
 quam vatinianum in nobis concitat. Hæc est, & sola  
 est, quæ passionum vehementiam corrigit, & rectæ  
 rationis iudicio voluntatis libidinem subjicit, ut in-  
 tra honestatis præscriptum currat. Hæc est, & sola  
 est, quæ Actiones nostras dirigit, easq; format & ve-  
 nustat, ut virtutum divino splendore illustres, toti  
 patriæ & amicis omnibus gratissimam lucem affun-  
 dant, & tanquam Luna inter minora sidera clarissi-  
 me ful-



me fulgeant. Hæc deniq; est, & sola est, quæ in omni humano bono verum nos & legitimum usum docet, nec non vires nostras intendit ducitq;, ut neq; ad dexteram, ubi excedere, neq; ad sinistram, ubi deficere solemus, declinent, sed intra virtutis cancellos se contineant, cursumq; absolvant suum. Tanto igitur feliciores præ Majoribus nostris merito nos prædicamus, quantò breviori compendio virtutem cognoscere, faciliore judicio honestum à vitioso disseparare, prosperiore successu actiones formare didicimus. Isti enim tanquam literarum rudes per omnem vitam lentè incedere, & ex singulis, iisq; sæpius repetitis actionibus, quid virtuti esset congruum, elicere, multa cum difficultate tenebantur, id quod nos tanquam in clarissimo quodam speculo, solo intuitu exploramus, dum elegantissimam virtutum omnium effigiem, neque hanc tantum, sed omnium insuper, qui ex Virtutibus pullulant surculorum delineationem, *Philosophia Moralis*, parvo admodum libello & paucissimis pagellis ob oculos nobis ponit; unde, quid bonum quid malum, quid solidum quid caducum, quid salutare quid noxium, parvo admodum negotio dignoscitur; quin & *Medicina* simul saluberrima, & ad interiora affectuum viscera usque penetrans nobis paratur, porrigitur, appli-

applicatur, quæ morbis animi [ politicè tamen, non  
 Theologicè consideratis ] salutariter medetur, & a-  
 missa vitæ bona reparat. Si quis contagioso quodam  
 morbo decumbens, & pro desperato ab omnibus  
 habitus, astantium vocem nullam audiat aliam, nisi  
 admonitionem, qua ad mortis ictum fortiter exci-  
 piendum excitatur; ipse verò vitæ cupidus, appropin-  
 quantem videat Medicum, operam suam strenuè of-  
 ferentem, & certissimam salutem pollicentem, quan-  
 ta tunc spe erigitur ægrotus, quanto cum gaudio  
 Servatorem suum adspicit, quanto cum desiderio  
 medicinam expectat! oblatam vero, etsi quovis felle  
 sit & absinthio amarior, cum voluptate tamen sumit  
 & absorbet, ut morbi vis & atrocitas superetur, &  
 ipse pristinae sanitati restitutus, vitæ jucunditate, qua  
 nihil dulcius, nihil desideratius est, quam diutissimè  
 perfruatur. Nos in eandem, Auditores, calamitatem  
 incidimus, proh dolor! occupavit animum nostrum  
 vitiorum contagium, scelerum lepra ex honestatis  
 republ. nos ejecit; omnes beatitudines à longè no-  
 stram intuentur miseriam, & de nostra restitutione  
 desperant; succumbendum nobis esse, clamitant, &  
 uti nostram ipsi acceleravimus perniciem, ita forti-  
 ter saltem pereamus monent. Sed accedit ex inspe-  
 rato Medicus, Philosophia nempe Moralis; Hæc infeli-

infelicitatem nostram miserata, curam nostri suscipit, ut amissam nobis sanitatem restituat. Quoniam verò tam profundè animum nostrum morbi vehementia pervasit, ut ne ipsa quidem ægritudinis nostræ cognitio reliqua nobis sit amplius; Intellectum nostrum suscitatur prius Philosophia, quam ad eijciendam malignitatem procedat. Ibi in memoriam nobis revocat amissam felicitatem, & quam insipienter circa boni hujus veritatem erremus, edocet, dum alii tanquam Epicuri de grege porci, brutam carnis voluptatem tanto conatu sectantur, ut eam ob causam vivere se censeant, ut vino & cupidis palatum irritent, ventremq; expleant, nec non continuo Veneris abusu, corporis juxta & animi vigorem frangant & enervent. Alii tanquam Eulionis nepotes, pecuniæ inhiantes;

*Cupiunt gazis implere famem,*

*Nec tamen omnis plaga gemmiferi*

*Sufficit istri, nec tota sitim*

*Lydia vincit; nec quæ Zephyro*

*Subdita tellus stupet aurato*

*Flumine clarum radiare Tagum;*

*Nec sitotus serviat Hebrus;*

*Ruraque dives cingat Hydaspes;*

Senec. in  
Herc.  
Oetco.  
Act. 2.

D

Intra-

*Intraque suos currere fines**Speket toto flumine Gangem.*

Ut elegantissimis Senecæ verbis hæc abjecta pecuniarum mancipia describam. Alij, quorum

Ibid,

*Urit miserum gloria pectus,*

Ambitione tument, & ne vivere quidem se credunt, nisi aliis prælati, & in summo honorum fastigio emicantes, reliquos omnes longo intervallo infra se despiciant. Alii figmentis & Ideis suis, nescio quibus, effascinati, si his tantum vacare, immorari, & seipos fallere datum sit, summum bonum se adeptos, gloriari audent. Alij deniq; alia præter rationem sectantes, quotidie à vero bono recedunt longius, quo propius se ad illud pervenisse arbitrantur. Hic intricatus & detestabilis error, ne felicitati nostræ amplius obicem ponat, rationibus evidentissimis nos informat Philosophia, docetq; illud tantummodo salutare esse, quod bonum est, illud bonum esse, quod honestum est, illud honestum esse, quod ex virtutum familia procedit: quidquid huic non est cognatum, vel in contubernium ejus non receptum, tantum abest, ut bonum censei debeat, ut quovis potius malo pejus, quovis veneno nocentius, quavis lue perniciosius sit judicandum. Hæc in Bono informatio,

tio,

tio, præparatio quædam curationis est, quam Philosophia intendit, ut omnia, quæ in nobis sunt, rectè se habeant, & quæ à nobis agenda suscipiuntur, decenter & ex honestatis præscripto fiant. Montrato enim Bono, non recedit statim à nobis hic Medicus noster, neque nostræ Libidini nos permittit, neque cœcæ sorti nos relinquit, sed de salute nostra semper anxie sollicitus, in id intentus porrò est, ut viam nos & medium edoceat, cujus ductu & ope felicitatem intellectui jam cognitam assequi valeamus & obtinere. Hic autem, multa in nobis reprehendit, multa corrigit, multa extirpat, tanquam noxia & saluti nostræ damnosa. Et ante omnia quidem Affectus seu Passiones nostras sub incudem fervidissimam revocat, igni patientiæ eas torret, aqua Constantiæ indurat, Continentiæ & Tolerantiæ malleo tundit truditq; donec rejectis vitiorum scoriis omnibus, tanquam purissimum metallum fulgeant, & virtutibus imbutæ, & undiquaq; vestitæ, actiones emittant homine dignas & reipubl. salutare. Quam verò operosus hic labor sit, quam difficilis cura, tum demum rectius intelligemus, cum appetitus nostri perversitatem & pertinaciam, quam in effrenatissimis affectibus ostendit, attentius paulò perpenderitimus. Quod

D 2

ut vel



Senec. lib.  
1. de Ira.  
cap. 1.

ut vel unico saltem exemplo pateat, considerate  
quæso, istam contumaciam & rebellionem, qua ho-  
nestatis carceres Ira effringere solet & perrumpere.  
De hac passione sanius dici nihil potest aut sentiri,  
quam si insania mera & furor appelletur, teter omni-  
no & rabidus, armorum, sanguinis, suppliciorum mini-  
mè humana fervens cupiditate. Et ut scias non esse sa-  
nos, quos ira possedit (Senecæ verbis hic quam meis  
uti malo,) ipsum illorum habitum intuere. Nam ut  
furentium certa indicia sunt, audax & minax vultus,  
tristis frons, torva facies, citatus gradus, inquietæ ma-  
nus, color versus, crebra & vehementius acta suspiria:  
Ita Irascentium eadem signa sunt. Flagrant & mi-  
cant oculi, multus ore toto rubor, exestuante ab imis præ-  
cordiis sanguine; labia quatiuntur, dentes comprimun-  
tur, horrent ac subriguntur capilli, spiritus coactus ac  
stridens, articulorum seipsos torquentium sonus, gemitus  
mugitusque & parum explanatis vocibus sermo  
præruptus, & complosæ sæpius manus, & pulsata humus  
pedibus, & totum concitum corpus, magnasque minas  
agens, fœda visu & horrenda facies depravantium se,  
atque intumescantium. Nescias, utrum magis detesta-  
bile vitium sit, an deforme. His vivis coloribus Iram  
mitissimus Seneca delineavit, ejusque turpissimam  
foedi-

fecunditatem & truculentiam depinxit. Jam vero (sic pergit Seneca) *si effectus ejus damnaque intueri velis, Nulla pestis humano generi pluris stetit. Videbis caedes ac venena, & reorum mutuas sordes, & urbium clades, & totarum exitia gentium, & principum sub civili hasta capita venalia, & subjectas tectis faces, nec intra mœnia coercitos ignes, sed ingentia spacia regionum, hostili flamma relucentia.* Et prolixius quidem Doctissimus juxta & acutissimus hic Autor hos exitiosos iræ effectus prosequitur, quam ut sine Auditorum fastidio hac hora ad terminum suum vergente legi à me aut recitari possint. Vos quælo pro vestra Prudentia hæc ruminare, quam difficilis omninò & laboriosum sit, belluam hanc effrenatam & cum impetu omnia agentem, non revocare tantum & delinire, sed concitatissimos animi furores regere & comprimere, & quod magis arduum est, ad frugem insuper & sanitatem reducere. Hoc opus, hic labor est! Nulla vis externa tam robusta & efficax est, quæ perturbationis hujus vehementiam dejiciat: Philosophia Moralis est, quæ sola id præstat, ne omnis Reipubl. salus concidat, ne honestas tota pereat & extinguatur. Quid igitur in sedationibus ea non possit affectibus, quæ perturbationissi-

Ibid;  
cap. 2.

batissimum frenare potest & emollire. Idem Medicus est, qui Terrores pellit ne Civium timiditate detrimenti quid Respubl. capiat : Idem Medicus est, qui Avaritiam cohibet, ne Liberalitas, virtus tam splendida quam rara, penitus evanescat : Idem Medicus est, qui Ambitioni compedes injicit, ne per fraudes, per arma, per seditionem honores illiciti rapiantur, & civium sanguine thronus ematur. Et ut omnia uno comprehendam fasciculo ; nullum omninò reipubl. malum est, cui hæc Philosophia Moralis non obsistat, nulla ægritudo est, cui remedium non adhibeat, nulla perniciēs est, quam consiliis & ope sua non avertat.

Hoc igitur Medici nostri curatio est præstantior, quo animi vitia corporum morbis sunt perniciosiora, sed & hoc Majori desiderio Medicus hic à nobis debet exoptari, quo lues nostra est nocentior ; hoc paratiori animo admitti debet, hoc gratiori corde suscipi, quo efficaciorē nobis salutem adfert. Verum qui Mundi hujus ingratiissimi mos est & Consuetudo, ut, quæ ab aliis in nos beneficia etiam maxima conferuntur, ea nulla non tantum gratitudine compensemus, sed Benefactorem insuper probro afficiamus, & pro officio reddamus maleficium, eandem



dem hanc sortem apud plurimos; & quod dolendum est, apud Christianos, & quod detestandum est, apud Literatos nonnullos experiri, Philosophia nostra cogitur, dum eo ipso, quo maximè sapere & virtutem colere videri cupiunt, hanc de virtute doctrinam è scholis Christianorum totam ejicere, eradicare, & Diis manibus Tellurique devovere conantur, ceu grande aliquod & morte piandum nefas, & ingenti cum salutis aeternæ jactura conjunctum. In cujus odii & persecuutionis causam, si inquiramus, nescio quid comminiscantur: Modò imperfectio- nis eam arguunt, quod ad cœlestem vitam nihil quidquam conferat adjumenti; modò impietatis eam insimulant, quod ab idololatriæ deditis Ethni- cis, puta, Aristotele & aliis sit conscripta, modò eam pro umbra habent, pro larva, pro fucio, superstitione & præstigiis, quod in hoc miseriarum domicilio soli- dam aliquam felicitatem somniare audeat, in perpe- tuis doloribus gaudium stabile, in vitiorum sentina perfectionem. Quorum sanè me potius miseret, quam ut iratus in eos inveham, dignave adversus hanc insaniam utar castigatione. Quis enim (ut prima deliria paucis attingam) quis, inquam, homi- nem, **DEI** Creaturam nobilissimam imperfectio- nis arguat

arguat ob id, quod alis à natura & plumis, pinnisq; squamisq; non sit convestitus? Hæc enim neque decent hominem, neque naturæ ejus conveniunt. Numquid igitur Philosophiam Moralem damnes ob id, quod ad æterna tibi gaudia viam non sternit? Id ne quidem præstare debebat hodie; alia enim, & longè divinior sapientia est, quam Divina misericordia hunc in finem nobis est largita; Philosophia autem salutem Reipubl. mundanam seu politicam tantum curat, præparat, urget. Quemadmodum igitur Grammaticæ latinæ præcepta ea propter imperfecta non dicis, quod Arabicè vel Syriacè te loqui non docent; ita nec ceu mancam & mutilam calumniare nostram Philosophiam, quod Spiritualibus se non miscet. Quæ autem ista tua tam precox pietas est, quod (ut ad alterum deveniam) Ethicam impietatis accusas propter Idololatram Aristotelem? Numquid non hac ratione Scientiæ omnes Philosophicæ impiæ erunt & detestandæ, cum perinde ab Ethnicis sint conscriptæ & nobis relictæ? Quid tu igitur impiam illam disputandi & Syllogismum conficiendi artem in sanctissimam Theologiam invehis, quando contra veritatis adversarios nil nisi Syllogismos crepas & minitaris? Apage igitur  
cum

augur

cum istis tuis deliriis, nisi stultissimus omnium haberi desideras, nec umbram voca, quod tibi virtutis essentiam proponit, nec larvam, quod vitij larvam tibi detrahit; nec fucum, quod fictæ pietatis tuæ fucum omnibus conspiciendum exponit; nec superstitionem, quod **D**eus noster in prima creatione, tanquam imaginis suæ particulam, mentibus nostris impressit; nec deniq; præstigias, quo ad optima quævis homo adducitur. Malum est, benè merentem odisse, Scelus, contemnere, propè parricidium calumniari, quid dicam, ejicere penitus & strangulare? Quod si illum probro afficias, qui vitam tibi est largitus, numquid non omnes ingratiſſimum te dixerint, & qui hac aura fruaris, indignum? Quid igitur de te sentient cogita, quod Philosophiam Moralem, quæ vitæ bonitatem tibi & felicitatem tribuit, de ponte conaris dejicere? Indignum te clamabunt omnes, qui ulla virtutis commoda sentias, ullis earum beneficiis fruaris. Spernamus igitur & detestemur hos Philosophiæ osores, & ab hac Christianorum quorundam perversitate quam alienissimi, Ethnicorum potius prudentissimum Cicero-nem audiamus, qui hujus divini Boni utilitatem longè melius perpendens, continere se non potest,

**E**

quin

Cicer. lib.  
ult. Tu-  
scul.  
quæst.

quin gratitudine incitatus, plenis buccis in Philo-  
sophiæ laudes sic erumpat: *O vita Philosophiæ*  
*Dux, virtutis indagatrix expultrixque vitiorum; quid*  
*non modò nos, sed omninò hominum vita sine te esse po-*  
*tuisset? Tu urbes peperisti, tu dissipatos homines in socie-*  
*tatem vitæ convocasti, tu eos primo inter se domiciliis,*  
*deinde conjugis, tum literarum & vocum communio-*  
*ne junxisti: tu inventrix legum, tu magistra morum*  
*& disciplina fuisti: ad te confugimus, à te opem petimus;*  
*tibinos, ut antea magna ex parte, sic nunc penitus totos-*  
*que tradimus.* Hanc Philosophiæ Morali gratitu-  
dinem, non tantum Ethnici saniores, sed & Doctif-  
simi Christianorum omnes referunt, quotquot hoc  
ingens DEI Donum pensi sanctique habent, & grato  
pectore agnoscunt. Ex quorum infinito numero  
mihi unus instar omnium sit, incomparabilis Theo-  
logus, & post Lutherum facile primus, Beatus DN.  
Chemnitius, qui in *Loco de Lege Dei* sic scribit. *Di-*

Chemnit.  
LL CC.  
part. 2 L.  
de Lege  
Dei. cap.  
9. de Lege  
naturæ.

*scamus amare, venerari & magnifacere Sententias mora-*  
*les, congruentes Legi naturæ, ubicunq; existunt & legantur*  
*apud Poetas, Historicos, Philosophos, Legum latores, &c.*  
*quia sunt jus divinum & veritas DEI divinitus patefa-*  
*cta.* Hæc Chemnitius. I nunc, & calumniæ tuæ sa-  
liva id conspurca, quod ab autore Deo proficiscitur;

Inunc,

Inunc, & omni convitiatorum genere id impugna,  
quod Reipubl. salutem gignit & tuetur: propelle  
nunc istam scholis doctrinam, per quam in virtu-  
tibus filii tui erudiuntur. Vos autem, quibus

*De meliore luto finxit praeordia Titan,*

Studiosi optimi, nolite gratiam hanc pessimis istis  
seductoribus gratificari, ut diabolicis ipsorum ca-  
lumniis aurem potius, quam admonitioni meae sa-  
luberrimae porrigatis; nec sinistri quidpiam de di-  
vina nostra Philosophia Morali vel per suspensionem  
cogitate, sed quod Ethicae salutaris doctrina svadet  
jubetque, virtuti vos totos tradite, ut ab illis, *quorum*  
*corpora in sagina, animi in macie & veterno sunt,* quam Senec.  
Epist. 88.  
alienissimi, nil nisi quod honestum, quod decens,  
quod pium est, meditemini, & virtuti penitus vos  
devinciatis. Quapropter O vos, qui Studiis libe-  
ralibus vos addixistis,

*Concutite pectus, acrior mentem excoquat,*

*Quam qui Caminis ignis Aetneis furit,*

Senec.  
Herc.  
furent.  
Act. 1.

Omnesque ingenii & diligentiae intendite nervos; ut  
id, quod de vobis satis felix augurium concepimus,  
vestra industria non comprobetis tantum, sed & com-  
pleatis; hoc est, in virtute indies magis atque magis

crecite, ut aliquando absoluto cursu Academico, dignos laboribus vestris fructus percipiat, & vel Judicum & Senatorum subselliis, vel Academiarum & Scholarum Cathedris, vel Templorum suggestis, vel aliis deniq; Christianæ reipubl. muniis præfecti, illa edatis specimina, quibus gloriam vestram faciat florentissimam, & ad seros usq; nepotes, si qui sperandi sunt, nominis vestri memoriam extendatis. Ita demum vestra.

Senec.  
Herc.  
Oetco.  
Act. ult.  
circ. fin.

*Nunquam stygias fertur ad umbras*

*Incluta virtus; — — —*

*Nec lethaos seva per amnes*

*Vos Fata trahent; sed cum summas*

*Exiget horas consumt a dies,*

*Iter ad superos Gloria pandet.*

Quod si de fideli Commilitone & Duce estis solliciti, cujus ductu & informatione ad tam sublime perveniatis bonum, & auream istam Philosophiæ Moralis doctrinam plenius percipiat, offero me vobis dilectissimi, & vestræ salutis totum me devoteo: Vos tantum vestrum mihi Commilitium non denegate; faciam ego bono cum DEO, ut, si eventus ubiq; [homines enim sumus] non omninò responderit, de meo saltem animo & diligentia nihil jure

con-

conqueri habeatis. Hanc enim Provinciam Illustrissima Comes & Domina, Domina mea benignissima mihi clementer demandavit, ut virtutum doctrinam ex hac Cathedra publicè proponam, & patefactis Vitiis monstris, honesti amorem in vobis suscitem. Arduum sanè munus, & non minus vitæ inculpatæ exemplo, quam eruditione non vulgari præstandum, cui, qui omni ex parte se satisfacturum, vel confidat, vel promittat, aut DEO sit quam proximus in perfectione, necessum est, alias promissa non implebit, aut insanienti & stolido similimus, alias de re impossibili & captum humanum excedente non gloriabitur. Agnosco igitur in me lubens, quidquid humani patior, [patior autem multum] & fragilitatis meæ conscius, & nunquam non memor, cum modestissimo Seneca à me exigo, non ut optimis par sim, sed ut malis melior: hoc igitur mihi satis est, quotidie aliquid ex vitiis meis demere, & errores meos objurgare: delinimenta enim magis, quam remedia podagræ meæ compono, contentus, si rarius accedit, & si minus verminatur. O quam stultum est, fortius loqui, quam vivere! aureos polliceri montes, ubi ne plumbeos quidem habeas in potestate! ampullas projicere & sesquipedalia verba, & vix um-

Senec. lib.  
de vit.  
beat. cap.  
17.

bram referre eorum , quæ de nobis plus quam thra-  
 sonicè promittimus : Quod si igitur, Domini Col-  
 legæ honorandi, & vos reliqui viri Doctissimi, ut &  
 Studiosi humanissimi, si vitam meam doctrinæ  
 quam profiteor, non per omnia conformem vide-  
 ritis, date id quæso communi nostræ naturæ, quæ,  
 sicut vestrum neminem, ita nec me tanquam abso-  
 lutum virtutis simulacrum sculpsit, sed affectibus  
 patentem, & vitiis obnoxium & virtuti esse voluit.  
 Interim, quam etiam sim fragilis, & reprehensione  
 optimorum dignus, divinam tamen virtutis excel-  
 lentiam admirabor, perfectionem ejus & plenitu-  
 dinem adorabo, quam, qua potero fide & industria,  
 Auditoribus meis ex hac Cathedra monstrabo, & ex  
 intervallo ingenti reptabundus, vita mea sequar  
 eam, cujus summa puritas, pectus peccati cæno pol-  
 lutum, propius non admittit. Hunc animum &  
 ardorem ut in meis quoque auditoribus & commi-  
 litionibus excitare possim, nullum non movebo la-  
 pidem, nullis parcam laboribus, & si obtinero, &  
 vobis & mihi gratulabor plurimum.

Tu verò sanctissime Deus, omnis virtutis autor  
 & largitor unice, Tu supple in nobis, quod deest,  
 tolle quod obest, firma quod prodest. Protege  
 Comi-



Comitem & Dominam nostram clementissimam,  
sub misericordiae tuae alis, rege Consiliariorum men-  
tem, & Professorum, & Academiam nostram, agrum  
tuum & hortum, aquam benedictionis tuae sitien-  
tem riga excole & clementer tuere. Spiritus Con-  
cordiae & pacis corda nostra amoris glutine & in-  
dissolubili nexu constringat, & Misericordia tua  
omnem belli impetum à cervicibus nostris avertat,  
ut honorem tuum ô Deus promovere, Studiosæ ju-  
ventutis salutem curare, & in Virtutum officina opti-  
ma semper agere possimus. Tibi soli sapienti, soli  
potenti Deo sit laus, honor, gloria & gratiarum  
actio, nunc & per omnia futura  
secula.

F I N I S.














Kreis- u. Stadtmuseum  
Haldensleben









Farbkarte #13

B.I.G.

XVII

HENRICI Bucholtz  
non Phil. Mor. ac Poet.  
fess. publ.

PANEGYRICA  
DE

SSITATE  
e Philosophiæ  
loralis.

Anno 1647. Cum ad Philo-  
professionem publicam, in Incluta Aca-  
urgica sibi demandatam, accederet,  
Habita;  
e primùm edita.



ij ad Visurgim,  
LUCIUS, Typographus Academicus;  
c19 106 XLIII.

